

Coniectanea.

I χυτλὸς δὲ κράτος ὁ κοσεύσκιος παρῆν· ἐσπαρμένος εἰκὴ καὶ οὐκ ἐν τάξει μένουσιν. ita Hesychius post χυτλάσαι et χύτλασον. trimeter sive Aeschyli sive alius poetae in Schmidtii Hesychio et Nauckii fragmentis tragicorum inc. 218 non emendatus legitur, nec scio numquis ex eo tempore sustulerit mendum. mihi quidem non est dubium quin auctor glossae κρατὸς ὄγκος εὐσκίος scripserit, librarius Γ litteram super positam cum Ξ spiritus nota confuderit. dixisse poeta videtur bellatorum 'undantes in vertice cristas'.

II Aeschylus in Orithyia Boream induxerat sufflatis ambabus buccis turbantem mare, Sophocles eum locum imitatus est non sine reprehensione: haec discuntur ab scholiasta Hermogenis. descripserat omnes istos Aeschyli versus qui περὶ ὕψους commentatus est, pars eorum adhuc extat cap. 3 (Aesch. fr. 303 Herm. 275 Naucki), perierunt in quibus inerat τὸ τὸν Βορέαν αὐλητὴν ποιεῖν. progreditur disputatio rhetoris ab Aeschylo ad eos qui pedestrem sermonem simili tumore inquinaverant, Clitarchi notationi adhibentur verba Sophoclis illa quae Cicero ad Att. II 16, 2 nobis servavit integra: φυσῶ γὰρ οὐ μικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβεῖās ἄτερ (fr. 697 N.). vis scire qui factum sit haec ut rhetor recordaretur et in unum mutando trimetrum aptaret Clitarcho? ipsa sunt quae adversus Aeschylum Sophocles scripserat nimiam coerciturus maioris poetae audaciam, tibicinium Boreae imitaturus simul et correcturus. itaque Orithyiae Sophocleae hos trimetros adsigno.

III In extremo libro περὶ ὕψους cap. 44, 7 haec dicuntur: ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ ἀμέτρῳ πλούτῳ καὶ ἀκολάστῳ συνημμένῃ καὶ ἴσα, φασί, βαίνουσα πολυτέλεια, καὶ ἅμα ἀνοίγοντος ἐκείνου τῶν πόλεων καὶ οἰκῶν τὰς εἰσόδους εἰς ἃς ἐμβαίνει καὶ

συνοικίζεται· χρονίσαντα δὲ ταῦτα —. in quibus εἰς ἄς quia duo haec ordinem sententiae pervertunt Iahnus (p. 69, 13) deleri voluit. sed lenius medebimur vitio et oratio concinnior fiet hoc modo: εἴσω συμβαίνει καὶ συνοικίζεται, cum eo introgreditur in contubernium. hoc luxus et pecuniae coniugio deinde oriuntur liberi non spurii sed admodum ingenui, ostentatio et fastus et mollitia, hi si ad maturitatem pervenerint, porro nepotes exhibent domini animorum atroces, vis et iniuria et impudentia. scias placuisse amico Terentiani legem Iuliam et Papiam, haud temere quos finxit coniugibus iura dedit trium liberorum.

IV In scholiis Theocriteis Zieglerus qui multifariam locupletiora edidit, non numquam interpolatas deteriorum codicum aut fictas lectiones adscivit post habitis melioribus quas ex libro Ambrosiano descriperat. velut in hypothesi idyllii XI de Nicia Milesio haec legimus edita p. 72: γέγονε δὲ κατ' ἐπιγράμμα τι συμφοιτητῆς Ἐρασιστράτου ἱατροῦ Μιλησίου, ὡς φησι Διονύσιος κτέ. at codex Ambrosianus: ἔγραψε δὲ ἐπιγράμματα ἑαυτοῦ. corrige ὁ αὐτός, nam ante dictus est Nicias ad Theocritum misisse hexametros. deinde codex: γέγονε δὲ συμφοιτητῆς Ἐρασιστράτου τοῦ ποιητοῦ ἢ ὡς φησι κτέ. corrige τοῦ Ἰουλιήτου secundum Strabonem et Suidam, nam ἱατροῦ Μιλησίου in libros vulgares inrepsit ex eis quae de Nicia erant dicta, tum aut delendum ἢ est aut adiciendum Κηίου.

in argumento idyllii VIII de Daphnidis fabula: Σωσίθεος δὲ Δάφνιν γενόμενον, ὑπ' οὗ νικηθῆναι Μενάλκων ἄδοντα Πανὸς καὶ Νυμφῶν κρίναντος, γαμηθῆναι δὲ αὐτῷ Θάλειαν. priora mutila sunt, tum non bene correctum κρινάντων, immo legendum Πανὸς κρίναντος, Nympharum nomen huc invecum est ex altero membro quod fuit olim γαμηθῆναι δὲ αὐτῷ καὶ Νύμφην Θάλειαν vel καὶ Νυμφῶν τινα, cf. schol. VIII 93. tali traiectione scholia haec persaepe depravata sunt.

Theocritus VI 3 πυρρός, ὃ δ' ἡμιγένειος. scholiasta Euripidis verbum πυρσαῖς γενύσσειν (recte γένυσσιν Phoen. 32), tum haec adnotavit: Παρμενίσκος· παῖδ' οὔτε γένειον πυρρὸν οὔθ' ὑπηγήτην. quae Ahrens orta a poeta scaenico putavit distribuitque in duos senarios παῖδ' οὔτ' ἔτι γένεια πυρρὸν οὔθ' ὑπηγήτην πάλοι. ego choliambos agnosco παῖδ' οὔτε γένυσσιν πυρρὸν οὔθ' ὑπηγήτην addendumque versum censeo Parmenonis Byzantii reliquis.

schol. VII 155: rustici vannunt frumentum cumuloque facto in medio πηγνούσι τὸ πτύον καὶ τὴν θρινάκην κατέθεντο. τὴν

δὲ αἰτίαν εἶπεν ἐκ Τριπτολέμου. quis dixit? nec coit κατέθεντο cum πηγνύουσι neque arte πτύον et θρίναξ copulantur. duo membra res habent congruentes varie expressas id est non ab eodem scriptore. emendandum censeo πηγνύουσι τὸ πτύον. Καλλίμαχος τὴν θρίνακα ἦν κατέθεντο, addendum hemistichium reliquius Aetiorum. prudenter Theo aut quisquis talium auctor fuit ad Theocritea solitus est adhibere carmina Callimachi, huius nomen cum alibi tum hic perdidit notae librariorum, aetion istud fortasse in ea parte legebatur in qua fr. 172. θρίνακα correpta prima Antiphilus posuit AP. VI 95, Hesychius θρίναξ πτύον σίτου, non ut corrigunt θρίναξ, dictam putabant παρὰ τὰ τρία. quamquam defendi ab analogia potest θρινάκην, tamen Byzantinis quam veteri poetae hanc formam vindicare malo.

versus VII 106 s. interpretatus Munatius ait ἑορτὴν Ἄρκαδικὴν εἶναι ἐν ἧ οἱ παῖνες τὸν Πάνα σκίλλαις βάλλουσι· χιοὶ δὲ τοῦτον βάλλουσι σκίλλαις ὅταν οἱ χορηγοὶ λεπτόν ἱερεῖον θύσωσι κτέ. Paeonas recte Iacobsius sustulisse videtur restituens quod in codicibus aliquot inventum est παιῖδες. item tollendos Chios esse concedo, etsi nihili est ista emendatio γίνεται δὲ τοῦτο ὅταν —. vide ne χοροὶ fuerit primo Munatique haec sententia ἐν ἧ οἱ παιῶν χοροὶ τὸν Πάνα σκίλλαις βάλλουσιν ὅταν οἱ χορηγοὶ κτέ.

Theocritus VII 125 εἰς δ' ἐπὶ τὰςδε, φέριστε, Μόλων ἄγχοιτο παλαίστρας. scholiasta ἔξωθεν τοῦτο ἐπιφωνοῦσιν. at poeta ne ἔξωθεν esset infesta aemulo exclamatio dederat operam interserta appellatione amici. scriptor περὶ ὕψους 33, 4 cum in bucolicis πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν Theocritum felicissimum iudicavit, num talia habuit in animo?

in illo Simichidae carmine haud facile quisquam exploraverit quantum rerum et vocabulorum repetitum sit ex Arati vita ac poesi, sed quod in Edonis Pan hibernare dicitur versu 112 prope Hebrum τετραμμένος ex vicinia Vrsae, aut valde fallor aut imitatus Theocritus Aratum ludit, certe quidem tam frequens huius vocis est in Phaenomenis usus, ut Aratum asseverare audeam commodasse eam ceteris poetis. Theocriti autem verba nec bene enarrata video, iter enim fieri ille voluit ab arcto ad Hebrum ripas, mansionem in montibus Edonorum, neque quemquam putavit Hebrum ipsis Edonis attributurum, nec bene distincta, quia cogi oportet in unum τετραμμένος ἐγγύθεν, sic ut illa Arati ἐξόπιθεν τετραμμένος, Vergili *stabula a ventis hiberno opponere soli ad medium conversa diem*, Dionysii perih. ἐκ κείνου τετραμ-

μένος αὐθις ἐπ' ἄρκτους. grammaticus Byzantinus qui adscripsit κεκλιμένος, si non ignarus fuit physicorum, τῆμεν non perspexit, in vexatione et in capricorno quanto plus valerent αἱ τροπαὶ quam τὸ κλίμα.

de Arato scholiasta Theocriteus non multum habuit comperitum: ad VI 1 προσδιαλέγεται Ἀράτῳ τινὶ φίλῳ ἑαυτοῦ ὁ Θεόκριτος, post adicitur posse eum credi qui Phaenomena scripserit. in scholiis Callimachi h. IV 175 Ἀντίγονός τις φίλος τοῦ Φιλαδέλφου Πτολεμαίου: Gonatam nos intellegimus meminique cum mutabatur Ἀντίγονος Γονατᾶς, verum non is quidem illis saeculis notior erat quam Aratus.

εἶτ' ἔστ' ἄρα Φιλίνος sic Theocritus VII 105. item Atticorum poetarum morem secutus est Callimachus in epigrammate LV Schn. in versu nondum emendato ἦν δ' ἄρα λάθη καὶ μιν ἀπαιτῆς. mihi syllaba a qua claudicare versus incipit, quasi iteranda videtur, λάθη σ' ἦ καὶ μιν: quod si fugerit te aut adeo exigis ab eo quasi non acceptum, testem se adfore tabella ait.

Lycidas Theocriti VII 85 de Comata: tu melle pastus ἔτος ὤριον ἐξεπόνασας. haereo in verbo ultimo, dubito an pariter exeuntis versus 51 memoria inductus sit librarius. nam ἐκπονοῦμεν in quibus ipsi desudamus, quae non confiunt nisi labore nostro, mandata certamen viam carmen librum discipulum vitam: anno non inhaeret operis faciundi necessitas, neve quis adiectivum opponat quod possit referri ad suprema officia, multi aliis, sibi nemo haec ὤρια ἐκπονεῖ. verum esto ita dixisse Graecum poetam ἐκπονῶ ἔτος ut Latinum *exanclabimus annos*, parum convenire cum sententia Theocriti arbitror aerumnas memoratas in fine: fortunate Comata, nam dulcia tulisti, dominus quidem capulo te condidit sed apes vitam tibi prorogarunt labore — tuo nullo. codices non pauci ἐξετέλεσσας habent, ex his unus notae melioris, hoc idem in scholiis scriptum esse Calliergus testatur. neutrum placet, sed originem fuisse utrique conicio ἐξεπέρασας. Leonidas Tar. AP. VI 226 ἐπὶ τούτοις Κλείτων ὀγδῶκοντ' ἐξεπέρησ' ἔτα.

V Ex papyro Thebaica quae Berolinum in museum Aegyptiacum pervenit, cuius scriptura saeculo p. Chr. VII antiquior esse visa est, incertum quanto, Ludovicus Stern prompsit proposuitque in eis quos Lepsius edit annalibus antiq. Aegypt. a. 1881 XIX p. 70 (tab. V) reliquias carminis heroici quo bellum contra Blemias gestum celebratum est. supplementis Sterni ipse non nulla adieci, quamquam non plus curae huic rei impendi quam ut ordo narrationis paulo clarius eluceret, eamque ob causam ne

incerta quidem spreui, commendare autem has reliquias viris literatis volui qui attentius nobis et peritius in id studium incumbunt ut Nonnianae artis tam initia quam exitus cognoscantur. tres sunt papyri scidulae, prima pugnam commissam in ripa Nili fugamque ab hostium duce captam continet, secunda plane lacerata extremam reguli stragem, tertia ducis Romani victoriam et in castra hostilia inruptionem.

I

- A -- --]ρη κραδάων δολιχόσ[κιον ἔγχος -- --
 γαστ[έ]ρα. τῆ δ' ἐνὶ χαλκὸς ἐλ[ηλ]α[μένος] -- --
 ἀσπίδα δαιδαλέην χαμάδις βά[λε, κάππεσε δ' αὐτὸς
 ὕπτιος ἐν κονίησι. κυλινδομένης περι χαλ]κῷ
 5 γαστρ]δὸς ἀποθρώσκοντα κατέρρε[εν ἔγκατ]α γαίη.
 Περσίνοος δ' ὄλεκεν Δολίον κρατερόν τε Πυλάρτην
 Λαμπετίδην τε φαληρόν Ἀγήνορά τ' αἰολομήτην.
 Αἴνιος αὐτε Μίμαντα δ[αή]μονα θηροσυνάων
 Νειλώης προβλήτος ἰδὼν ἐπιάλ[μ]εον ὄχθης
 10 ἀκ]ροτάτης κεφαλῆς κατὰ ἰνίον ο[ὔ]τασε χαλκῷ.
 πρηνῆς δ' ἐς ποταμὸν προκυλίνδετο, [μίση]τε[ο δ' ὕ]δ[ωρ
 αἵματι]. τῆλε δέ οἱ προλιπὼν χροά θ[υμὸς ἀπέπτη
 ἤ]υτε κ]οῦφος ὄνειρος. ἐπερρώ[οντο] -- --
]λαδ' αὐτὸν ἀτη[

- B -- -- -- -- -- κρέμ]αται νέφος οὐδ' ἐσορῶ[μεν
 -- -- -- -- --]ινην ὁδόν. ἡ δέ μοι ἔξω
 στηθέων ταρβαλή κρ]αδίη ἀναπάλλεται ἦδη.
 π]άντα [μεταστρέφω]μαι χροά δειμάτι. τίς κεν ἀλύξη
 5 ἄ]νδρα ν[έον, τῷ]πέρ τε μένος καὶ χεῖρες ἄαπτοι
 -- -- -- π]εφύασιν ἀπ' ἀκαμάτοι[ο] σιδήρου;
 εἶπε] καὶ ἐς φόβον ὤρτο κατὰ φρένα θυμὸν ἀλυίων.
 οἱ] δ' ἄλλοι κατὰ μέσσον ἐελμένοι ἤυτε κάπροι
 ἐρχ]όμενοι κατ' ὄρ[εσ]φι λίνων ὑπο θηρητήρων
 10 ἔστα]ν [μαρνάμενοι] τεκέων ὑπερ. ἔρρεε δ' ἠχῆ
 τῶν μὲν ἀπολλυμένων] τῶν δ' αὐ φεύγοντας ὀπίσσω
 θεινόντων ξίφεσίν τε] καὶ ἔγχεσιν. ἔκτυπε δ' ἀ[ιθήρ
 π]έδον δ' ἐρυθαίνετο λ[ύθρω].
]πλην[

initio versus B 6 supersunt vestigia litterarum: πρεσβυτέρων? —
 B 7 ἀλυίων recte, cf. Herodian. I 456, 23 II 783, 20 Arcad. 165, 24
 Et. M. 72, 24 Eustath. Od. 9, 398

II

- A]ον μέλος ἦχ[ώ
 τίν]α λοίσ[θι]ον ᾗλεσεν ἦρ[ως
]τας ἀπεσκέδασεν πολεμ[---
]εν ἦ μὲν οἰστ[---
 5]νως πολεμίζει
 οὐ μ]ενεόντα ποδώκη[
]οιης ἐσιδ[---
- B]θοντες σάρκας τ[ε
]ομεδω[]δ' ὕσμιν[
 καὶ γὰρ δὴ Βλεμύων πυκιναὶ κλονέ[οντο φάλαγγες
 ὡς] ἔβαλ' Αἴσυμνον κατὰ γαστέρα
- 5 ὠκυ]πετὲς κατέδου δόρυ
 -]ἀμηχανέων. χολ[άδες
 χύν]το χαμαί. τὰς δ' αὐτ[ε
 ὄρ]μαίνων τεκ[

ordinem paginarum retinui quem Sternius fecerat. dubites an
 praecesserit B (v. 2 Λαομέδων?)

III

- A]ον[ί]οισι φ[
]οι κατόπισθεν
 ἐρχομέν]ων δ' ἐκά[τερθ]ε κύνες προθέουσ[ιν] ---
 ὡς τότε Γ]ερμανῶ ῥήξήνορι χαλκοκορ[υστή
 5 ἔσπετο που]λὺς ὄμιλο[ς ἐυ]πλέκ[τοι]ς ἐνὶ δεσμ[οῖς
]ατος[
 ---π]ολέμοιο πεφυζ[ό]τας. ἔστενε δὲ χθ[ῶν
 ---πρ]υλέεσσι καὶ ἀκ[άμ]α[το]ι ποσὶν ἵπποι
 ---ἄ]μυδις. λιγυρὴ [συ]νεβόμβεε σάλ[πιγξ
 10 --- ἀγγέλλ]ουσα μάχης [πο]λυγηθέα νί[κην
]ρες πυλ[έ]ων ψα...ον ὀχ[ῆ]ας
- B ἀλλ' οὐδ' ὡς ἀ]πέλη[τ]ε μάχης
 --- Β]λεμύων κλισίας [---]ιε[---
 ---]αι κατέκρη καὶ οὖς κατέμαρπτε κ[ατέκτα.
 ἀμφί]θειν πέτρας τε καὶ οὔρεα καὶ μέλαν [ἕδωρ
 5 ἴχνια] λειπομένων διζήμενος εἶ που ἐφ[εύροι.
 ὥστε] λέων νομῆ ἐπὶ φορβάδι θυμὸν ἀλ[υῖ]ων
 ρεῖα] βοῶν ἀγέλην μεταναίσεται ἤματι μ[έσσω
 οὐδέ] μιν ἰσχανόωσι κύνες δεδαημέν[οι ἀλκῆς
 οὐδὲ μὲν] ἔρκεα πυκνά. τεθήπασιν δὲ [νομῆς

10 -- δ]τ' αἴψα βόαυλον ἀμαιμακότη[-- --
 φόνος δὲ γένυν περιάγνυτ[αι
 ἐπέχραεν. οἱ δ' ἐπ[
 π]αρ' ἀλλήλ[
 εἰκότε[

A 11 putes ἀνέωγον — B 8 fertur δεδαμέν[οι

nisi Blemym et Nili facta esset mentio, vix scires Homericam haec cantilena quarum rerum praeconio destinata fuerit. etiam virorum nomina ut in fabulis ficta sunt, adrepta ex Homero aut Posthomeris. unum verum esse et historicum ipsa vox fidem facit Γερμανὸν III A 5 quem epitheta ista ῥηξήνωρ χαλκοκορυστῆς venaticaeque comparationes duces belli arguunt similem Achilli et Hectori. hic Germanus quis fuit, cuius aetatis? ipsum nomen ab saeculo quarto usitatus esse coepit maxime orientis incolis. ad Iustianiani tempora descendere nos vetant rationes metricae. tum enim quicumque ita erant eruditi ut bellos blandosque componere versiculos possent, legibus se continebant Nonnianis. at in hoc carmine, ut pauca delibem, versum σπονδειαζόντα habes I B 9, continuos spondeos in primo pede et secundo I A 9, in tertio et quarto I B 11, elisum ἔβαλ' II B 4, non evitatum hiatum κατὰ ἴνιον I A 10. plurimi quidem versus sic ut Nonniani exeunt, neque igitur ausim I A 1 reintegrare in hunc modum ἀμφὶ κάρη κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος ἔβαλλε, tamen in proparoxytonon vocabulum desinit I B 5 χεῖρες ἄπτοι, in monosyllaba III A 7 ἔστενε δὲ χθών. non sectatus est hic poeta Nonnum sed ante cessit, mihi videtur quasi medius inter Quintum et illum aut saltem Nonno annis non inferior. de rebus Blemym quae scriptores memoriae prodiderunt maxime Graeci et Coptitici, ea Eugenius Revillout sedulo conlecta latiore tractatu exposuit a. 1874 (*Mémoires prés. par divers savants à l'acad. des inscr.* VIII 2 p. 371). haec respiciens Sternius qui in metricis non moratur, neque Iustianiani adversus eam gentem neque quam Aurelianus olim aut Probus obierat expeditionem idoneam fuisse iudicat quam graecus poeta epico carmine ornaret, sed potuisse cantari bellum auspiciis imp. Marciani a Maximino profligatum anno 451 (Prisci fr. 21, Revillout p. 429). Probus quidem cecidisse Blemyas ad internecionem narratur ac triumphasse de eis Romae, tamen mihi quoque praetermittendum hoc saeculum videtur et aut Sterni accipienda sententia aut advocatio petenda ab silentio historicorum quorum culpa ignoremus Blemyas et Romanos conflixisse inter se compluriens. verum Marcianus bellum istud confecit tantum,

coeperat gerere Theodosius II, ut Nestorii fata testantur (Euagrius hist. eccl. I 7), certe aliquanto ante quam de vita Theodosius decessit, Blemyes ex superioribus Nili regionibus in Aegyptum invaserant, urbem Panopolitanis vicinam diriperant, agros multos ferro et igne vastarant, captivos praedamque abduxerant, Romanis maximum sui terrorem fecerant. fortasse ut Maximinus Marciani auctoritate Blemyas adduxit ad pacem, ita Germanus Theodosii contra Blemyas exercitum rexit. ac novimus Germanum a Theodosio praefectum militibus una cum Areobindo et Ansila missumque classe in Siciliam anno 441 (Prosper Aquit. et Theophanes p. 157). itaque illud bellum cum nec brevi tempore peractum sit et ex damnis periculisque atrocibus firmiter infixum memoriae et litterarum monumentis relatum compluribus (Revillout p. 401), vices eius ac victoriam poetae Aegyptio carminis praebuisse materiam satis probabile est. nobilissimus eiusdem aetatis ἑποποιός Cyrus fuit Panopolita consul ordinarius a. 441, post episcopus Cotyaensis, quem Suidas vitam perduxisse refert ad tempora imp. Leonis ultra a. 457. hunc admirabatur Eudocia Theodosii uxor, hunc in anth. Plan. IV 217 Calliope eodem lacte quo Homerum nutriisse dicitur, hunc Iohannes Lydus ἐπὶ ποιητικῇ ἔτι καὶ νῦν θαυμαζόμενον scribit. nunc carmina Cyri perpauca et exilia extant (anal. II p. 454, Iacobs AGr. XIII p. 878), in his contexta ex Homero Theodosii laudatio et epyllion in domum opulentissimam Constantinopoli aedificatam a Maximino quem ego non alium puto quam pacatorem Blemyum. quis scit an magni qui quidem vocabatur poetae parvam hanc teneamus laciniam?

Haec dudum scripseram, cum Alfredus Wiedemann possidere se mihi narravit multa papyrorum fragmenta eruta Thebis ex eodem sepulcro ex quo Sternius poeticas illas reliquias protraxisset, conlecta ab se in itinere Aegyptio. rogavi igitur ut aperiret arculam suam. quo facto cum perlustrarem magnam frustulorum copiam, ecce unum invenimus quod eiusdem voluminis olim fuisse statim pateret. id quamvis tenue sit nec multum verborum aut quidquam luminis adferat, tamen quia plura fragmenta potest fieri ut posthac emergant, Wiedemanni permissu hoc loco edam, mutilatas litteras inferius notabo punctis:

IV

A ———— Βλε]μύων ἡγήτορες [— —
 ————— τιέσκετο · τῷ δ[
 ————— ἔχ]ευσεν ἐπ' ὄμμασι. μ[

ἔ]κ[ε]ἰτο καὶ ἔσσομένο[ισι
 5 ἀλ]κήεντα καὶ ἔσσυμέ[νως
 οἰ] δὲ παρέστασαν.[
 B _ _ _ _ _]ην. ἐπεὶ οὐκ ἄρα[_ _ _ _ _
 ἄφθο]γγος ἐπὶ χρόνον.[
]ρόν μοι ἐπὶ κνέφα[ς
 σκ]οπέλοιο φάνη μέλαγ[
 5]τον ἡμαρ ἐπαντέλλε[ι

A 5 frustra fuit spes quam conceperam conlato II A 5

VI Claudianum et Cyrum poetas Euagrius hist. eccl. I 19
 chronographorum more coaequatis temporum rationibus narrat
 inclaruisse utrumque regnante Theodosio II. Claudianum Alexan-
 drinum ἐποποιὸν νεώτερον Arcadio et Honorio aequalem biogra-
 phus graecus posuerat. imaginem Claudiani poetae in quo copulata
 esset Vergili mens et musa Homeri, Arcadius et Honorius Romae
 titulo latino graecoque epigrammate signarunt. mirabar Ieperium
 in praefatione latini poetae de patria eius disputantem ceterosque
 quod sciam omnes omisisse testimonium clarissimum quod Iohan-
 nes Lydus perhibet de mag. I 47 p. 159 isque manifesto au-
 ctorem secutus antiquiorem. verba Lydi sic videntur distinguenda:
 ἄδωράτορας οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς ἀπομάχους καλοῦσιν, ἄδωρέα
 γὰρ κατ' αὐτοὺς ἢ τοῦ πολέμου λέγεται δόξα . . . βετερανούς
 δὲ τοὺς ἐγγεγηρακότας τοῖς ὄπλοις — μάρτυρες Κέλσος τε καὶ
 Πάτερνος καὶ Κατιλίνας . . ., Κάτων πρὸ αὐτῶν ὁ πρῶτος καὶ
 Φροντίνος, μεθ' οὗς καὶ Ῥενᾶτος, Ῥωμαῖοι πάντες, Ἑλλήνων
 δὲ Αἰλιανὸς καὶ Ἀρριανός, Αἰνεΐας, Ὀνήσανδρος, Πάτρων, Ἀπολ-
 λόδωρος ἐν τοῖς πολιορκητικοῖς, μεθ' οὗς Ἰουλιανὸς ὁ βασιλεὺς
 ἐν τοῖς μηχανικοῖς — ὧν ὁ Φροντίνος . . . μνήμην ποιεῖται καὶ
 Κλαυδιανὸς δὲ οὗτος ὁ Παφλαγῶν ὁ ποιητὴς ἐν τῷ πρώτῳ
 τῶν Στιλικῶνος ἐγκωμίων· τίρωνας δὲ τοὺς ταπεινοὺς κτέ.
 comicus licet truculentum quendam Paphlagonem vocet ioculari
 convicio, Lydo quid erat caussae cur derideret Claudianum et
 hoc loco et hoc vocabulo? itaque serio ille locutus patriam poetae
 declarasse iudicandus est. nec profecto infringit huius testimonii
 fidem poetae vaga oratio hominis in aliis orbis partibus geniti
 qui Ῥελυσιακο σαturno Canopo Claudianum fecit. immo ortus hic
 erat Pompeiopoli aut alio oppido Paphlagoniae, Alexandriae quasi
 in optima patria liberaliter institutus. respiciunt Lydi verba ad
 librum primum *de laude Stiliconis*, hunc enim titulum ipsa quo-
 que referunt, non illum quem editores praetulerunt *de consulatu*.
 veterani quidem ibi non leguntur, sed adorea versu 384 et tiro

v. 315 et veteres cohortes et omnino rerum militarium explicatio, nempe secundus liber incipit 'hactenus armatae laudes'. Lydi autem quanta fuerit socordia in adhibendo distribuendoque quem forte invenerat indice scriptorum unum Aeneae nomen optime ostendit.

VII Georgius Valla ad Iuvenalis IV 94: 'Acilius Glabronis filius consul sub Domitiano fuit, Papinii Statii carmine de bello Germanico quod Domitianus egit probatus:

lumina Nestorei mitis prudentia Crispi
 et Fabius Veiento — potentem signat utrumque
 purpura, ter memores implerunt nomine fastos —
 et prope Caesareae confinis Acilius aulae'.

errat interpres Acilium filium consulem a. 91 confundens cum patre quem Statius illa enumeratione designavit prope confinem aulae augustae dicens non, opinor, quod iuxta palatium habitaret sed ob octoginta quos viderat annos quasi aequalem originibus principatus. nec recte Iahnus qui neglecti ab editoribus carminis Statiani memoriam resuscitavit mus. rhen. IX p. 627 in versu altero scribi iussit *Fabricius Veiento*: sane quidem ea homini illustri erant nomina, sed coniuncta nullus ponit poeta, ne Iuvenalis quidem qui IV 123 Veientonem, 129 Fabricium vocavit, nedum Statius. et copulae indiget enuntiatio. Statius ut Vibium Crispum ob mitem facundiam Nestorem cognominavit, ita Veientonem missis ambagibus elocutionis transnominare ausus est Fabium, quippe qui esset cauta speculator mente futuri, providus pectore praemeditans surgentia bella, denique omni agendi fandique virtute excellens ea quam Silius I Punicorum ceterique Romani Cunctatori illi gravissimo Hannibalis adversario tribuerunt. similiter postea etiam cottidiano sermone adclamatum est velut *Scipioni Gordiano*. discimus ex his versibus Crispum et Veientonem ter functos esse consulatu, bis Crispum, semel Veientonem qui tum demum a Domitiano honorem eum adeptus est (epit. Caes. 12): poeta quos antestatur, fastorum memoria iam abolevit. *potentem signat utrumque purpura*, ergo eo tempore Crispus et Veiento consules fuere ambo. quo anno? bellum Germanicum potest id intellegi quod anno 83/84 Domitianus gessit, potest quod a. 88/89, aut denique utriusque expeditionis ac proeliorum variorum eventus. poema de eo bello Statius non absolvit emitteque rite perfectum ante ultima Domitiani tempora, licet componere et recitare vel ipsum vel simile eius iam prius coeperit (silvarum IV 4, 95 et 2, 66). descripsisse in illo videtur con-

vocatam ab imperatore consilium cui interfuerint Crispus et Veiento et Acilius: desideratur quod praegressum erat verbum tale *vertit* vel *demittit lumina*, huic nomini vis magna adiungitur si superiore loco memoratum fuisse sumimus Catullum Messalinum cos. a. 73 virum Domitiano familiarissimum iam orbatum luminibus. mihi incidit suspicio hoc Statii poema obversatum esse animo oculisque Iuvenalis saturam IV scribentis eaque imitatione effectam esse etiam illam rem monstruosae raritatis, ut vetus saturarum enarrator scriptoris minime vulgaris abstrusum librum et ignotum omnibus investigaret versusque ex eo aliquot adnotaret. apud Iuvenalem Domitianus consilium habet procerum *tanquam de Chattis aliquid torvisque Sygambri dicturus* (v. 147), tanquam apparato bello Germanico priore. hinc siquid coniectare licet de Statio, Crispus iterum et Veiento consules fuere ubi primum Domitianus Germanos aggressus est: nundinorum consularium rationem si computamus, vacat in fastis nostris quo illi inseri possint locus sub autumno anni 83. de tempore consulatus in lubrico versamur scilicet, de conlegio ipso constat fide Statii.

Valla Statii versiculos numquis dubitabit quin ex Probo suo, ex antiquissimo commentario desumpserit, etsi hoc loco non ut solet auctorem appellarit Probum? quoniam scholiorum Iuvenalis Placentino interpreti praesto fuit instrumentum optimum, quaerebam num forte etiam alias usus esset eodem ita ut plura huius modi aut lautiora quam in commentario Iuvenalis expromeret, ideoque evolvebam ingentia duo volumina Venetiis in aedibus Aldi impensa ac studio Ioannis Petri Vallae filii edita anno 1501 quibus pater ad mortem usque inlaborans 'expetenda ac fugienda' id est ad artes liberales vitamque humanam pertinentia cuncta paene comprehenderat (Firmin-Didot *Alde Manuce* p. 176). legere coepimus ipse et amicus, neuter nostrum perlegit, intercidit enim spes fore ut in vasto horreo novam frugem inveniremus. quamquam patuit qui coacervasset eam farraginem et in Iuvenale versatum esse curiosius et trivisse manibus copiolas istas Probianas. unum adscribam exemplum. libro universi operis XXXIII grammaticae quarto exponuntur officia historices ut grammaticae obscura aperiat: '*inops inhumataque turba*, quis fuerit ille veterum ritus in proferendo iam mortuis nomismate, unde etiam non *habet quem porrigat ore tridentem*, quod ab Aristophane sumptum videtur, et *spolium affectare palati*, ut palatus infamor speculo dispoliatus sit'. superiora fere congruunt cum scholiis Iuv. III 267, inferiora praebuit Probus ad II 106: 'Vitellius occupavit imperium et

Othonis molles habitus quos palatus infamor sustulerat sibi dari iussit'. in Pithoeano et S. Galli codicibus Othonem occidisse scribitur 'palatos infamior', ut Cramerus emendavit, 'palato infamior'. etiam hoc addam quod de Probo Valla dixit, sed magis tacuit, libro XXXI gram. I post quam ordinem grammaticorum ex Suetonio conseruit: 'reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui. hunc probi quoque secuti sunt aliquot non modo qui Aemilius est dictus historicus, sed qui in Virgilium commentaria scripsit et qui Lactantii tempore vixit qui in poetas varios multa scripsere. praeclari quoque alii secuti grammatici Donatus Caper Nestus Fustus'. postremos si hac forma minus agnoscis, inspice Keilii gr. lat. VII p. 35, 2.

VIII In Curculione Plautina I 2 versu 96 Goetz. anus vinosa sic canere incipit:

flos veteris vini meis naribus obiectust.
 eius amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
 ubi ubist, prope mest. euax habeo.
 salve, anime mi, Liber, lepos,
 ut veteris vetus ti cupida sum.

tertius versus anapaesticus est, quartus et quintus iambici. primi duo Choerilei sunt, ἠνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν σατύροις, nisi quod latinus poeta pro dactylo etiam spondeum admisit (Naekius Choerili p. 258). Diphilei iidem vocantur, unde metro huic locum fuisse colligas in Attica comoedia nova. illi versus sic possunt scandi, quemadmodum metrici praecipiant, ut subsistens vox in dactylo tertio respiret ante *meis* et *me huc*. atque in subsequentibus ter repetita est dactylica talis tripodiam:

101 tu crocinum et casia es —
 119 em tibi, anus lepida.
 120 salve, oculissime homo.

verum etiam altera quaedam huius versus dimensio concedenda est Plauto. mihi enim manifestum videtur scaenam universam eisdem numeris concludi a quibus initium ceperit:

155 re spicio nihili meam vos gratiam facere.
 156 st tace tace :: taceo hercle equidem :: sentio sonitum.
 157 tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.

in primo versu revocavi librorum scripturam, quam in *perspicio* mutarunt praeter necessitatem: divisio verbis Phaedromus rem ipsam sibi declarare ait pessulos ingratos, *spicere* vel *specere* cum Plautus aliquotiens tum Ennius et Cato dixere. sed hoc nihil ad metrum. alterum versum, cuius pes secundus dactylum habet so-

lutum, et tertium sic structos vides a poeta, ut nulla fiat in tertio dactylo mora vocis sed possit fieri et apte fiat in secundo *tándem edepol | mihi mórigeri pessullí fiunt.* divisus igitur versus Diphileus est in proodicon dactylicum et dimetrum anapaesticum, eamque sibi placuisse partitionem Plautus etiam principio scaenae ostendit numeros continuans hoc modo: *éius amor | cupidám me huc prolícit pér tenebras. | ubi ubíst, prope mest, euáx habeo.*

iambos istos quibus Leaena cupidinem suam vini profitebatur, exceperunt ut opinor iambici Palinuri et Phaedromi versus *sitit haec anus —, pol ut praedicas —* quos detrusos ex superiore loco librarii post v. 109 posuerunt, Fleckeisenus post 102. tum anus sic pergit canere:

- 99 nam ómnium unguéntum odos praé tuo naúteast:
 tu mihi stacta, tu cinnamum, tu rosa,
 tú crocinum et casia es, tu télinum,
 nam ubi tú profusu's, íbi ego me pérvelim sepúltam.
 105 séd quom adhuc náso odos óbsecutúst meo,
 da vicissim meo gutturi gaudium.
 nihil ago tecum: ubi es ipsus? ipsum expeto
 tangere, invergere in me liquores tuos,
 sine, ductim. sed hac abiit, hac persequar.

priores versus sic disposui et emendavi in Woelfffini archio lexicogr. I p. 112. in posterioribus perperam editores 105 corrigi voluerunt *obsecutu's*, 107 retinuerunt quod libri exhibent *ubi est.* nam odorem quis nominatim compellet pro Libero, quis invocet ut gaudium det gutturi? immo adloquitur anus precibus et oratione eundem quem supra v. 98 ss., Liberum, florem veteris vini, sinum. *nihil ago tecum* tanquam magistratus cum populo, accusator cum reo agens lege, de scripto, per formulas, cum aliena intercessione, longis ac molestis ambagibus, singulare quiddam petens, sed te ipsum expeto quem tangam et mihi ingeram totum.

respicere ad Phaedromum cogit anum

- 114 vini pollens lepidús Liber
 tibi qui screánti siccaé semisómnæ
 adfert potionem et sitim sedatum it.

tetrametrum bacchiacum ut paenultimum ita ultimum fuisse versus admodum verisimile est. *sitim* intercudit in libris paene omnibus, simul factam putes eius syllabae iacturam quam requirit tetrameter: *sitim iam sedátum it.*

bibit anus v. 127, Phaedromus cum servo deliberat quid

illi primum dicat v. 130. 131, intermittit anus bibere *ah* v. 128, rursus bibit et exhaurit vinum v. 129, interea Phaedromus

132 iam né ego huic dico :: quid dices? :: me périisse :: age dic :: ánus audi.

octonarius est versus par superioribus, *ne* non interrogantis sed adfirmantis quod sibi decretum sit, sicut v. 139 *tibi ne ego*. octonarium dixi: nempe dividi in quaternarios neque hunc versum neque ceteros veto, sed nego catalexi ulla refrenatum esse metri cursum prius quam Phaedromus rem summam elocutus sit cretico versu 133.

postquam anus ex scaena abiit v. 140, Phaedromus et Palinurus anapaestos producunt modulis infractis, numero septenario. alter versus hic fertur:

142 Palinúre :: edepol qui amát, si eget, misera ádficitur
aerúmna.

laborat metrum in fine. paratum est auxilium metro, sententiis concinnitas hoc supplemento: *misera adficitur, ere, aerumna*.

Plautus Asinaria in septenario iambico 661 *quin trádís huc cruminam erum pressatum?* at libri *pressatum erum*. demonstrare volebam puro sermoni gestuique histrico non convenire nisi *pressatum umerum*, cum hoc idem ab Osc. Seyfferto propositum forte vidi. gaudeo consensu nostro, iam omitto argumentationem.

Bacchidum v. 1082 sequor B tollo *ludum*, 1105 lego *et mali mei video*, 1121 *nam amábo, quis hás huc ovés sic adégit?* conl. 1123.

in Mostellaria v. 852 canem metuenti seni senex haec respondit: *tám placida est quam feta: quam vis eire intro audacter licet*. posteriora nuper Frid. Leo item emendavit (*qua vis libri*, sed erasa quae interfuerat notula B), priora contendemus cum proverbio Enniano ann. 518 'tantidem quasi feta canes sine dentibus latrat'. significatur κύων κύουσα, praegnans, quamquam ambigui aliquid insertum est et ridiculi, quia feta latine dicitur etiam recens a partu femina, canis autem talis saevissima est. inter glossas Philoxeni *feta ἐγκύμων πλήρης*. prisco more Liudprandus antapodosi V 10 de Willa 'quae tempore digressionis suae per montem Avium feta partuique vicina qualiter montes tam asperos atque invios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari'.

IX Persius traditur lecto Lucilii libro decimo esse instigatus ut saturas componeret, eiusque libri initium imitatus, cum sibi primo, tum omnibus detraheret et recentes poetas oratoresque insectaretur. ex decimo Lucilii pauci supersunt versus, eorum

plurimi ad argumentum quod in vita Persii indicatum est aptari possunt sine temeritate. rhetoris, ut opinor, Graeci deridetur gloriosa epidixis versu 339 Lachm.:

‘νῆ τὸν in arce bovem, descripsi magnifice’ inquit (musei huius XXXVIII p. 133). orator iam non fit, ut maiores voluerunt, vir bonus sed ita moratus

334 improbus confidens nequam malus ut videatur.

hocine genus hominum instituit nos docetque rationem dicendi?

335 horum est iudicium phrasis, ut descripsimus ante,

hoc est, quid sumam, quid non, in quoque locemus — ?
phrasis restitui, quod vocabulum in libris latinis raro incorruptum legitur: *crassis* Noniani duplicata *s* aut ut in bassi basilica al. aut post quam principalis littera vitata est, in speciem vocabuli latini. φράσιν Quintilianus interpretatur corpus eloquentiae, φράσεως loquellae pars potissima est ὀνομάτων ἐκλογή (π. ὕψους 8, 1 30, 1), *sumam* Lucilium posuisse pro *eligam* grammaticus testatur. hi iudicant eloquentiam, quid dicam et quo quidque loco et quo modo? nempe et res et verba invenienda sunt et conlocanda, in hoc vis est oratoris, ut Marcus filio narrat. alias Cicero ‘est oratio’ inquit ‘ita flexibilis ut sequatur quocumque torqueas’: in oratoris comparatione prudentis tenacisque Lucilium naves memorare potuit a tempestatibus tutas propter retinacula,

333 tonsillas quoquo validis in funibus aptas,

332 fluctibus ac ventis quae adversis firmiter essent.

nam cohaerent hi versus manifesto; in priore *quoque*, in posteriore *a ventisque aversis* Nonius. denique non modo bellatoribus sed etiam poetis Lucilianae aetatis merito opprobrari potuit

331 languor, obrepsitque pigror torporque quietis

in quo versu *languor* spondeum implet ut *clamor* in Ennianis. potuit, inquam: nam reapse fuisse ita consertas sententias siquis adfirmare velit, profecto quo ingenio nata sit satura nesciat. ac duo extant eius libri membra plane avolsa a corpore et dissipata,

338 pone paludatus stabat rorarius velox

et 337 quamvis desubito trinis deducere scalis.

hoc versu non agi puto de caesidico pauperculo quem quamvis subito ex cenaculis accessere liceat ad operam forensem oratoriamve — Martialis tribus scalis habitabat I 117, 7 multique advocati mediocres schol. Iuv. 7, 118 — sed de re veneria ad hunc modum: praestat meretriculam quamvis ductare sortis infumae quam moechari aut lubricine dirumpi. Iuvenalis 3, 136 ‘dubitas alta Chionen deducere sella’.

Lucilius etiam in decimo meminerat Accii: Persius prima satura oratores castigans unum nominatim dicit Pedium, in vituperatione poetarum duosne nominavit an unum? nam v. 4 'ne mihi Polydamas et Troiades *Labeonem* praetulerint?' et v. 50 'non hic est Ilias *Atti* ebria veratro?' unum vetus interpres fecit *Attium* aut ut editum est *Accium Labeonem* poetam indoctum illorum temporum qui Iliadem male composuisset (schol. v. 49 50 51). recte fecit, sive ipse ita iudicavit quod v. 4 in nullum aequae iocose iactatus esset quam in scriptorem Troicorum, sive didicit a patribus. argumento iam utimur potentissimo: apparuit enim cui duo illa nomina sunt vir ordinis senatorii in titulo Corinthiensi mutilo hoc: ... *Modestin[um ... | .. Attium Labeonem ... | .. Xvir.]stlilitibus iudican[dis ...* (Ioh. Schmidt in actis inst. germ. graeci VI p. 354).

X Sereni versiculus a Mallio Theodoro gram. VI p. 590, 9 K. adfertur hic:

et nihil est quod amem Flaminia minus.

Luc. Muellerus (Rutilii p. 50 Ser. fr. 28) haec adnotat: 'Flaminiam viam respici putat Wernsdorfius, ego feminae potius nomen esse existimarim, nam pleraque Sereni fuere erotica'. ego Wernsdorfio adsentior. recordare Martialis de tritissima via, de strepitu eius ioca, vel unum illum versum X 6, 6: 'totaque Flaminia Roma videnda via': num dubitabis quin ruris amator et cantator urbanae vitae fastidium professus sit illo verbo et quasi summam fecerit opusculorum suorum ruralium?

idem Serenus apud Terentianum M. 2629:

geritque intus in oppidum
anhelos Panope greges.

Muellerus p. 49 fr. 26: 'Panope vilica eademque amica Septimii'. Wernsdorfius tamen addiderat alias Panopen nympham esse marinam aut fluvialem Nerei filiam. de gerendi verbo idem quae protulit, miror quod non revocarunt ipsum ab errore. aquae inundant oppidum, Nereis ingerit ei pecoris sui greges qui anhelii vocantur sive ob celerem undarum incursum sive ex natura piscium elatis rimantium naribus auras. Γλαύκω καὶ Νηρήϊ, *Glaucō et Panopeae*.

Panopen pro undis Serenus etiam in anapaestico versu appellavit quem Diomedes gram. I p. 511, 19 K. memoriae prodidit sed nemo adhuc intellexit sordibusque exemit (p. 45 fr. 8 Muell.). haec sunt verba:

cedo, testula trita solo curret tibi per speculum, Panope.
cede aut caelo, tum sol occurrit aut solem curret codices; *cedo* quod

similiter dicitur a Iuvenale et Appuleio, ut Donatus in Andria non male ait, cum quadam fiducia et contemptu, praeterea *solo* iam Scaliger invenerat. speculum Panopes compara cum lympharum speculo quod scripsit Phaedrus I 4, 3. cetera docebit Minucius Octavio 3, 5: 'pueros vidimus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere, is lusus est testam teretem iactatione fluctuum levigatam legere de litore, eam testam . . . super undas inrotare . . . is se victorem ferebat cuius testa et procurreret longius et frequentius exsiliret'.

XI Attalus Stoicus Senecae praeceptor ipse se regem esse dicebat (Seneca ep. 108, 13), maxime quidem ut philosophus, tamen vereor ne subierit illi fortunae recordatio avitae. Pompeius post bellum Mithradaticum Attalo et Pylaemeni Paphlagoniam reddidit (Eutropius VI 14), Παφλαγόνων τῶν μεσογαίων τινὰς βασιλεύεσθαι παρέδωκε τοῖς ἀπὸ Πυλαιμένου, καθάπερ καὶ τοὺς Γαλάτας τοῖς ἀπὸ γένους τετράρχαις, ὕστερον δ' οἱ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμόνες ἄλλους καὶ ἄλλους ἐποίησαντο μερισμοὺς βασιλέας τε καὶ δυνάστας καθιστάντες καὶ πόλεις τὰς μὲν ἐλευθεροῦντες τὰς δ' ἐγχειρίζοντες τοῖς δυνάσταις τὰς δ' ὑπὸ τῷ δήμῳ τῷ Ῥωμαίων ἐῶντες (Strabo XII p. 541). Paphlagonia tota Romanorum facta est anno urbis 747 et contributa cum Galatia legatis praetoriis (Marquardt antiq. I p. 201). Galatiam qui ultimus tenuerat rex decesseratque anno 729, Amyntas cum alias multas gentes ab Augusto datas acceperat in dicionem tum civitates Pamphyliae (Dio Cass. LIII 26), post rursus imp. Galba Galatiam ac Pamphyliam provincias uni homini regendas permisit (Tac. hist. II 9). Pamphyliae praeerat L. Piso qui consul fuerat a. 739, cum avocatus est ad domandos Thraces, quod bellum triennio gessit Romamque rediit triumphans a. 743 (Dio LIV 34, Velleius II 98), praeerat igitur illis regionibus a. 740/1 quo tempore Agrippa ex oriente Romam revertebatur. Pamphylisne Augustus legatum praeficeret consularem? Asiae Piso securitatem, Macedoniae pacem reddidisse narratur devictis Thracibus: cum in Pamphylia versaretur, imperitasse eum latius statuemus, simul ordinasse statum Galatiae, tractasse pacis bellive artibus etiam res Paphlagonum. nam hinc explicatur Antipatri Thessalonicensis qui Pisonem adulabatur epigramma AP. VI 241:

ἡ κόρυς ἀμφοτέρην ἔλαχον χάριν· εἰμὶ δ' ὀράσθαι
καὶ τερπνὴ φίλοις καὶ φόβος ἀντιπάλους.
ἐκ δὲ Πυλαιμένου Πείσων μ' ἔχει· ἔπρεπεν ἄλλαις
οὔτε κόρυς χαίταις οὔτε κόμη κόρυθι.

sane quidem non memorasset poeta nomen Pylaemenis, nisi celeberrima fuisset herois Homerici fama. sed significat aliquem qui tum vixit Pylaemenen, ex quo Piso galeam ceperit sive praedam ex hoste sive per gratiam potius magni amici munus honorarium. laus galeae praemium regium arguit, regnasse etiam tum Pylaemenen credas, factum carmen ipso a. 741. reguli tales, isti Attali et Pylaemenes si prius regnare desierunt quam vivere, solum verterunt, multi Romam migrarunt ut fierent homines, 'ego sum thurarius de familia rege Mithredatis' homo liber sepultus Romae, 'ego regis filius' Trimalchionis conlibertus in Campania. de Attali Stoici patre et origine nihil compertum habeo, duravit ipse in extremum Tiberii principatum. Pylaemenis, eiusdem opinor qui cum Pisone rem habuit, in aula augusta video vestigia: Or. Henzen. 6307 'Alexander C. Caesaris Aug. Germanici serv. *Pylaemenianus* ab bybliothece graeca templi Apollinis vix. annis XXX': suppar hic et aetate, nam natus erat aliquanto ante obitum Augusti, et agnomine Trimalchioni Maecenatiano. defecisse in Paphlagonia mediterranea regum progeniem Strabo scripsit sub annum 772 libro XII p. 562.

XII Xenophon in cynegetico etiam formam canis enarrat membratim qualis esse debeat cap. 4. eadem ratione graecus rei pecuariae auctor vetustior Cassio Dionysio vel saeculo a. Ch. primo, inferior Aristotele et Theophrasto boum equorum ceterorum animalium formas edissertaverat. quae descriptio ab illo propagata est in omnes eiusdem argumenti scriptores ita ut hereditas non cerni possit universa nisi congestis successorum copiis omnium, quia alius plus de ea alius minus sibi adscivit. Varro et Columella de graeco talia converterunt aut conversa adhibuere, ille fere congruenti magis sermone, hic magis polito, graeca verba servarunt pleraque geoponicon conditores. in forma equi Varro II 7 testes et femina omisit, genua Apsyrtus geop. XVI 1, Columella VI 29 scapularum umerorum armorum discrimina, nullus non aliquid delibavit de integritate fontis pleni. prodesse hanc observationem etiam ad emaculanda quibus ruris disciplina continetur volumina duobus exemplis probabo, levibus eis quidem.

Varro II 3 in constituendo grege caprino: 'de forma videntum, ut sint firmae, magnae, *corpus lene ut habeant*, crebro pilo'. Florentinus geop. XVIII 9 de capellis matricibus: δει δὲ ἐκλέγειν . . . τὰς εὐπαγεῖς, μεγάλας τε καὶ μεμυωμένας, καὶ τὸν μὲν χρῶτα λεῖον ἐχούσας, δασύτριχας. ergo scribendum *corpus leve*. ne ambigas utrum dictum sit prius, χρῶτα homo

tinus quem ipsum esse reor Varronem festinantius quam aptius interpretatus est.

Varro II 5 vaccas esse volt 'pedibus non latis neque ingredientibus qui displodantur nec cuius unguulae divaricent et cuius ungues sint leves et pares, corium attactu non asperum'. Florentinus geop. XVII 2: πόδας ἐν τῷ βαδίζειν μὴ πλατυμένους ἄραν μηδὲ χηλὰς διεσταλμένας, τοὺς ὄνουχας τελείους καὶ ἴσους, βύρσαν εὐαφῆ. id fuit scilicet ὄνουχας λείους τε καί, deerraverat particula in versu exemplaris veteris.

XIII Ethica Epicurea iam iterum ac splendidius quam antehac edita a Comparet (Museo It. di antichità class. I) desinunt in characterismos et eorum hominum qui metus sibi fingunt ac male vivunt trepidantes et viri sapientis. multa ego aliter lego aut suppleo ac princeps editor, unum huc transcribo poeticum ni fallor. p. 11 col. XVII: isti solent prae parvo commodo deserere quae sola voluptates praebere possint, et labores subire vanos, philosophiam autem penitus contemnunt pro se quisque deprecantes infinitam aerumnam et aurum inreperum. καὶ πρὸς τὰς ὀτουδήποτε ἀποκλείονται μεταδόσεις, ὡς τοῖς ἀθανάτοις δέον τοῦτο ποιεῖν ἢ τοῖς μένουσιν ἕως κομίσωνται τὴν χάριν· καὶ πᾶσιν ἀχαριστοῦσι πάλιν, αἰεὶ μηδὲ ἐν δότῳ καταστρέψαντι μέτα διὰ γέλωτος ἐπιφωνοῦντες. videtur e cantico tum notissimo translatum epiphonema, nescio an e comoedia, nam numeri sunt κορδακικώτεροι trochaei excurrentes in choriambum et sententia similis Publilianae 'mortuo qui mittit munus, nil dat illi, adimit sibi' Plautinaeve qualem ingrata mulier amatori dicit 'dum vivit, hominem noveris, ubi mortuost, quiescat: te dum vivebas, noveram'. miseri eidem col. XX quod futuram metuunt penuriam δυσμετάδοτοι (-δοξοι papyrus) γίνονται καὶ τὰς χάριτας ἀποστεροῦσι. contra vir bonus XXI 18 μεταδίδωσιν pro copia pro recula, XXII 14 πολυωρεῖ τε τῶν ἀνθρώπων ὅσους δύναται πλείστους καὶ τοῖς φιλοφρονησαμένοις εὐχαριστεῖ. sed Epicurei horti flores nolo praeripere amico integram nectenti coronam.

XIV M. Aurelius ad se ipsum IV 33: nomina celeberrimorum olim virorum iam quasi glossemata sunt, Camillus Kaeso Volesus Λεοννάτος, mox erunt Scipio et Cato, tum Augustus Hadrianus Antoninus. repono Lanatum (Λενάτου chron. Pasch.).

Bonae.

F. Buecheler.